



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Qui viuunt in Sathana, & in quibus ille viuit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

mus. Hoc regnum Dei intra nos est, Luc. 17. & nō indigemus hoc è mari vel è longinquo auferre: nec in vestitu, loco aut cibo consistit, Rom. 14. Sed in pietate, humilitate, misericordia, patientia, &c. Exteriora tamen ad retentionem virtutum conducunt, licet nō conferant. Sic igitur viuit Christus in nobis, quandò virtutes illius imitamur, patiētiam, dilectionem, &c.

3. Sathan princeps huius mundi dicitur, Ioan. 14. eò quòd & ipse suum habet regnum in mundo: in illo enim regno sunt vitia omnia capitalia, superbia, luxuria, auaritia, adulterium, amaritudo, inimicitia, &c. sicut Apostolus ad Galat. 5. describit opera carnis. Omnis ergò qui in vitijs delectatur, & incessanter his tenetur captiuus, hic viuit in sathana, & sathanas in illo, & ille impellit eos in omnis generis errores, flagitia, ac pœnas corporales, bella & incendia, & alias calamitates. Omnis ergò qui in tali regno viuit delectabiliter, is nō peruenit ad regnum Dei, sicut Apostolus testatur, 1. Cor. 6. Rom. 1. Ephes. 5. ad Galat. 5. ait: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, sed inquis: si hoc est esse in regno Sathanæ & in illo viuere, qui in peccatis est, nemo erit in regno Christi. Respondeo: In regno sathanæ esse contingit dupliciter: voluntariè, & non voluntariè. Non voluntariè sunt, qui sentiunt in carne peccatum, superbiam, luxuriam, gulam, &c. attamen dolent, & nō consentiunt, sed clamāt ad Deum, vt suum adueniat regnum, vtq; liberentur à malo, Matt. 6. & hoc iubet Apostolus, ad Romanos suos 6. cap. inquit: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore. Voluntariè autem sunt in regno sathanæ, qui sequuntur & perficiunt cupiditates suæ carnis, & delectantur illis, idq; cum proposito peccandi, & in peccatis perseuerandi, ac scienter præcepta Dei transgrediendi: Illi non sunt Christi, quia non crucifigunt carnem cum concupiscentijs suis, Galat. 5. Peccare cum proposito


contra

contra legem Dei, & peccare ex infirmitate naturæ  
contra propositum, differunt.

## CAPVT XXXVI.

## ARGVMENTA.

1. *Quomodo oporteat opus dilectionis Dei erga nos, primum credere & per fidem accipere.*
2. *Quomodo acceptum Christi beneficium, causa est dilectionis nostræ erga Christum.*
3. *Quod oporteat fructus & opera dilectionis ostendere, alioqui Christi beneficium, id est, iustificatio, non retinetur.*

 Pus dilectionis Dei maximū erga nos, 1. est, quod dedit nobis filium suum unigenitum in redemptorē à peccatis nostris, & saluatorem à sathana & inferno. Ioan. tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Roman. 5. Commēdat Deus charitatem suam in nobis, quoniam Christus pro impijs mortuus est, & 1. Ioan. 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit in mundum, ut viuamus per eum. Sic vbique scriptura commendat nobis hoc maximum opus dilectionis Dei erga nos, quod filium suum ex gratuita dilectione nobis dedit, non aliquo merito nostro præcedente, neque quod nos primum illum dilexerimus, sed quod ipse prior dilexit nos, 1. Ioan. 4. primum lapidem ipse posuit, & etiam cum inimici essemus, Roman. 5. Hoc simpliciter credere oportet, & nullatenus hîc dubitare, quod ex nimia charitate nobis sit datus filius Dei in redemptorem. Præcedit ergo hoc opus Dei dilectionis, nostram & fidem & dilectionem, opera ac merita.

Nam